



De tempore animationis foetus humani

Author(s): Hyacinthus-M. Hering

Source: *Angelicum*, Gen. - Mar. 1951, Vol. 28, No. 1 (Gen. - Mar. 1951), pp. 18-29

Published by: Pontificia Studiorum Universitas a Sancto Thomas Aquinate in Urbe

Stable URL: <https://www.jstor.org/stable/44623148>

JSTOR is a not-for-profit service that helps scholars, researchers, and students discover, use, and build upon a wide range of content in a trusted digital archive. We use information technology and tools to increase productivity and facilitate new forms of scholarship. For more information about JSTOR, please contact support@jstor.org.

Your use of the JSTOR archive indicates your acceptance of the Terms & Conditions of Use, available at <https://about.jstor.org/terms>



JSTOR

Pontificia Studiorum Universitas a Sancto Thomas Aquinate in Urbe is collaborating with JSTOR to digitize, preserve and extend access to *Angelicum*

P. HYACINTHUS-M. HERING, O. P.

De tempore animationis foetus humani

Iam a saeculis agitur quaestio de tempore quo anima rationalis in embryone humano infundatur, an scil. momento conceptionis, vel tardius, post duos vel tres menses, quando foetus ad animam suscipiendam est sufficienter dispositus.

Ut omnibus notum est, duae sunt de hac re praecipuae sententiae: prima de animatione *immediata* (momento conceptionis), altera de animatione *dilata* (« animazione ritardata ») quae tardius evenit, foetu iam evoluto et sufficienter disposito. Haec ultima sententia dupliciter exponitur: vel ponuntur tres animae successivae: vegetativa, sensitiva et rationalis (ita Aristoteles, s. Thomas ⁽¹⁾ et veteres scholastici); vel ponitur initio conceptionis anima simul vegetativa et sensitiva, cui succedit postea anima rationalis (quod quibusdam modernis magis arridet).

Si certis auctoribus credere velis, prima sententia de animatione *immediata* communis est hodie inter philosophos et theologos, ita ut opinio contraria sit omnino derelicta veluti antiquata et minus probabilis, imo (iuxta aliquos) ut certo falsa.

Ita v. g. NOLDIN S. I.: « Hodie recepta doctrina est, foetum humanum in ipsa conceptione ab anima rationali informari...; quare distinctio inter foetum animatum et inanimatum in theolo-

(¹) « Anima praeexistit in embryone a principio quidem nutritiva, postmodum autem sensitiva, et tandem intellectiva... Cum generatio unius sit semper corruptio alterius... , quando perfectior forma advenit, fit corruptio prioris; ita tamen quod sequens forma habet quidquid habebat prior, et adhuc amplius... Sic ergo dicendum quod anima intellectiva creatur a Deo in fine generationis humanae quae simul est et sensitiva et nutritiva, corruptis formis praeexistentibus ». (S. THOMAS, *Summa*, I, 118, 2 ad 2).

gia non amplius attenditur » (1). Iuxta DONAT, S. I. sententia antiquorum de hac re « iam communiter relinquitur » (2). ANTONELLI: « ex dictis liquet animam rationalem per creationem in corpus infundi in ipso instanti conceptionis » (3). PISCETTA-GENNARO: « Iuxta sententiam hodie communem foetus anima rationali informatur primo conceptionis momento » (4).

Iuxta CAPPELLO S. I. cum haec sententia sit omnino certa, sequitur opinionem contrariam esse certo erroneam. Citato c. 747: « Omnes foetus abortivi, quovis tempore editi, sunt baptizandi », « ratio est, inquit, quia iuxta sententiam communiter receptam et ex praescripto citati canonis omnino certam, ut indubitanter putamus, foetus humanus a primo conceptionis momento anima rationali informatur. Diximus omnino certam, nam subiectum baptismi est omnis et solus homo; atqui nemo dicitur et est homo nisi habeat animam rationalem. Ergo... » (5).

Iuxta hos auctores ergo, sicut doctrina de animatione immediata communis est et probabilior, imo (quibusdam saltem) omnino certa, ita opinio contraria (de animatione dilata) est fere derelicta, minus probabilis, imo (quibusdam) evidenter falsa.

Re tamen perfectius investigata, apparet sententiam de animatione dilata foetus humani (sive ponantur tres animae successivae, sive ponatur una anima vegetativa et sensitiva cui postea succedit anima rationalis) hodie nullo modo haberi veluti antiquatam et derelictam, sed e contra validos semper invenire fautores, praesertim inter philosophos qui, profundius quam moralistae et canonistae, rem scrutari solent. Licet saeculo elapso et initio huius saeculi opinio de animatione immediata sat diffusa videbatur, hodie minus communis evadit, dum doctrina s. Thomae de hac re a pluribus acceptatur, praecipue ab illis qui secundum principia philosophiae scholasticae et facta empirica scientiae biologicae hoc problema perscrutari conantur.

(1) NOLDIN, *Theologia Moralis*, II, n. 342.

(2) DONAT, S. I. *Psychologia*, Oenip., 7^a ed., n. 642.

(3) ANTONELLI, *Medicina Pastoralis*, I, Romae, ed. 5^a, p. 193, n. 262.

(4) PISCETTA-GENNARO, *Elementa Theol. Mor.*, III, n. 219.

(5) CAPPELLO, S. I., *De Sacramentis*, I, n. 168.

Ad quod demonstrandum (argumentis utique ex auctoritate, ratione tamen non despecta), opportunum duximus hunc scribere articulum. Ex modernis auctoribus animationem dilatam propugnantibus praecipui dumtaxat citantur, relictis illis (non paucis nec minoris momenti) qui in fine saeculi elapsi eandem tenuerunt sententiam, ut v. g. Liberatore, Zigliara, Cornoldi, Lorenzelli, Sanseverino, di Maria, etc.

Iam initio huius saeculi plures fuerunt auctores qui, animatione immediata reiecta, docuerunt animam rationalem non infundi a Deo nisi embryone sufficienter dispositio. Ita v. g. DE BECKER, S. I. qui in sua *Psychologia* hanc thesim defendit: « Anima humanae successive a Deo creantur, tunc scil. quando corpora, ad quae singulae animae destinantur, inveniuntur esse ad eas suscipiendas sufficienter disposita » (1).

Item P. VALLET: « Verisimilior videtur Divi Thomae opinio . . . Non initio igitur sed in generationis fine, anima creari suoque corpori infundi dicenda est ut proportionatae materiae uniatur » (2).

In suo permagno commentario in *Summam Theologiae*, P. PÉGUES O. P. eandem defendit sententiam (3). Pariter LOTTINI, O. P. « Anima humana, non statim dum foetus concipitur, a Deo creatur et corpori infunditur, sed postquam foetus per formas priores et imperfectiores dispositus est ad animam humanam suscipiendam » (4). Item GUIDI, O. Cap. « Formae substantialis subiectum ad ipsam formam proportionari debet, unde tali dispositione praeditum sit oportet, quae sit necessitans ad formam. . . Ad hunc ultimum vitae (sensitivae) terminum cum pervenerit embryo, creatio et infusio accidit animae humanae » (5).

(1) DE BECKER, S. J. *Inst. Metaph. spec.*, III, *Psych.*, pars II, thesis XII, Parisiis, 1904, p. 157.

(2) VALLET, *Praelectiones Philos.*, ed. 9^a, Parisiis, 1909, n. 272.

(3) « L'âme humaine est créée par Dieu à chaque fois que, selon les lois de la génération humaine, un corps humain est amené, par l'action des parents, à l'état de perfection requise pour pouvoir être animé d'une telle âme ». PÉGUES O. P., *Commentaire français littéral de la Somme théologique*, Toulouse, 1910, V, p. 650.

(4) LOTTINI, O. P., *Compendium Philos. Schol.*, II, n. 553 (Romae, 1912).

(5) GUIDI, O. Cap., *Principia Philos.*, Florentiae, 1914, II, n. 374.

Citari potest etiam S. CONGREGATIO DE STUDIIS, quae die 27 Iulii 1914 approbavit 24 theses fundamentales ex doctrina s. Thomae depromptas, quarum XV^a sic se habet: « Per se subsistit anima humana, quae cum subiecto sufficienter disposito potest infundi, a Deo creatur, et sua natura incorruptibilis est atque immortalis » (1).

Inter moderniores vero auctores qui eandem propugnant sententiam nominare libet: CARD. MERCIER, archiepiscopum Mechlinensem et philosophiae scholasticae strenuum instauratorem, qui opinionem s. Thomae habet probabiliorē et exigentiis embryologiae magis conformem (2). P. MARCELLUS A PUERO IESU, O. Carm.: « Sententiam negantem animationem foetus per animam rationalem in primis diebus conceptionis tanquam probabilem, imo et probabiliorē, novissime instaurarunt et defendunt plures quoque medici et philosophi » (3). REMER, S. I. « Alii cum s. Thoma docent id locum habere, cum ad corporis humani propriam organizationem foetus accesserit. Haec ultima sententia commendatur tum quia in iis quae exeunt de potentia in actum, actus imperfectus semper praecedit actum perfectum tum quia anima intellectiva, non cuiuscumque corporis, sed humani est actus » (4).

Idem sentiunt SERTILLANGES O. P. (5) et PRÜMMER O. P. « Sententia scholasticorum magis conformis est philosophiae doc-

(1) SACRA CONGREGATIO DE STUDIIS, die 27 Iulii 1914.

(2) « Est-ce à dire que l'âme doit être créée au moment de la conception ? Il est possible sans doute qu'il en soit ainsi et que dès le principe la vie de l'embryon vienne de l'âme raisonnable. Mais il est possible aussi que l'âme soit créée par Dieu au cours seulement de la vie embryonnaire, après que tour à tour un principe de vie organique d'abord, une âme sensitive ensuite, ont donné à l'embryon la perfection qu'ils étaient capables de lui communiquer. Les deux opinions peuvent se soutenir; mais à notre avis, la seconde est la plus vraisemblable. . . L'embryogénie confirme d'une manière frappante ces vues spéculatives des anciens scolastiques » (MERCIER, *Psychologie*, Louvain, 1923, 11^{ème} éd., p. 337.

(3) P. MARCELLUS A PUERO IESU, *Cursus Philos. Schol.* II, *Phil. Nat.* Bilbao, 1924, n. 425-428.

(4) REMER, S. I. *Summa Philos. Schol.* V, *Psychol.*, ed. 5^a, Romae, 1925, n. 244.

(5) « Il faut donc dire que dans la nature où travaille la vertu génératrice, il éclôt d'abord une âme végétative, puis plus tard une âme supé-

trinae de anima ut forma substantiali corporis... Praeterea haec sententia est multo mitior. Etenim si a primo instanti conceptionis adest anima rationalis, numerus infantium sine baptismo morientium est forte decies maior, cum praesertim primis hebdomadibus post conceptionem abortus sint multo frequentiores» ⁽¹⁾. Idem docetur a MATTIUSI S. I. in suo commentario ad 24 theses thomistas a S. Congregatione de Studiis approbatas; putat enim observationes recentes biologiae non esse sufficientes ad thesim antiquorum philosophorum confutandam ⁽²⁾.

FARGES-BARBEDETTE, quorum notissima « *Philosophia scholastica* » anno 1932 iam 54^{am} editionem habuit, idem asserunt. « Placet opinio quae in initio animam simul vegetativam et sensitivam inducit, cui postea succedit anima rationalis... Embryogeniae conformior et probabilior videtur sententia s. Thomae asserentis subiecto sufficienter disposito animam infundi » ⁽³⁾.

Pariter VERMEERSCH, S. J. « Recta philosophiae documenta de anima forma corporis postulant ut, cum s. Thoma et omnibus scholasticis post plures Patres, dilatam ad aliquod tempus infusionem istam teneamus: quod recentes physiologiae observationes

rieure, à la fois végétative et sensitive, et enfin, le développement achevé quant à l'essentiel, une âme à la fois végétative, sensitive et rationnelle. SERTILLANGES, O. P., *Les grandes thèses de la philosophie thomiste*, Paris, 1928, p. 205. Cf. eiusdem auctoris « *Saint Thomas* », Paris, 1925, II, p. 87.

⁽¹⁾ PRÜMMER, O. P., *Manuale Theol. Mor.*, II, n. 138.

⁽²⁾ « Qu'il nous suffise de remarquer que les observations récentes de la biologie ne sont pas suffisantes pour réfuter la thèse des anciens philosophes; elles établissent seulement que dès le début, on constate la vie et le mouvement vital. On l'a toujours su, et le maître de ceux qui prennent rang dans la famille des philosophes le disait déjà lui-même. Mais il croyait n'y voir qu'une vie commune au genre des êtres doués de la seule vie végétative, et non pas une vie spécifiquement humaine. Les modernes ont-ils démontré le contraire? Nous ne le pensons pas ». MATTIUSI, S. I., *Les points fondamentaux de la philosophie thomiste*, Turin, p. 163-164.

⁽³⁾ FARGES-BARBEDETTE, *Philos. Schol.*, ed. 54^a, Parisiis, 1932, I, n. 237.

(prorsus sane diversae atque illae quae aetate s. Thomae admittebantur) confirmant » (1).

MERKELBACH O. P. haec habet in suo opusculo de *Embryologia*: « His ultimis temporibus, rursus facta est res (opinio de animatione immediata) magis dubia. Constat enim, et semen viri in ipso vivere vita propria et independenti, et ideo animari non quidem anima viri sed principio vitali proprio, et similiter ovum feminae vivere in ipsa; et utrumque elementum non semper statim post copulam uniri. Quando autem uniuntur, non tanta nec tam radicalis fit mutatio, ut compositum dicatur tunc iam vivere anima rationali: cum enim antea principio vitali proprio utrumque elementum separatum viveret, simili principio et nunc vivere unitum, videtur affirmandum. Anima ergo rationalis probabiliter infundetur tantum, quando foetus radicalem omnino mutationem subit, et externam acquirit speciem hominis; quod fit versus finem tertii mensis: tunc utique adest ratio cur dicatur animari anima rationali » (2).

Idem tenet PIROTTA O. P. in sua *Summa Philosophiae*: « Utraque sententia scientifice est indemonstrabilis; secunda vero (de animatione dilata) philosophice Aristotelis et s. Thomae doctrinis est conformior...; sic enim salvatur 1) quod quaelibet forma est in propria materia; 2) quod sicut evolutio progressiva quae sequitur formationem organismi humani habet rationem augmenti, sic evolutio progressiva quae precedit formationem illam habet rationem generationis; 3) quod materia est propter formam et non e contra; 4) quod via generationis ab imperfecto ad perfectum gradatim proceditur » (3).

(1) VERMEERSCH, *Theologia Moralis*, II, n. 622. Idem docet in *Epitome Iuris Canonici*, II, n. 31: « Nescimus quonam momento anima spiritualis infundatur; nec pauci putant animam istam a primo instante infundi. Obiciunt tamen plures scientiarum physiologicarum periti, nullam allegari posse rationem positivam affirmandi infusionem animae rationalis a primo conceptionis momento; validas autem id negandi rationes sana philosophia scholastica suppeditari ».

(2) MERKELBACH O. P., *Quaestiones de Embryologia*, Liège, 1927, p. 67-68.

(3) PIROTTA, O. P., *Summa Philos.*, Taurinis, 1936, II, 882-883.

Eiusdem opinionis est CARBONE « Animae a Deo creantur quotiescumque corpora per generationes perveniunt ad debitam dispositionem » (1).

MAQUART, cuius *Elementa Philosophiae* ab Episcopatu Galliae peculiari cum laude approbata, sunt et largam apud studentes obtinent diffusionem, eandem thesim propugnat. « Anima humana non videtur creari in corpore in ipso fecundationis momento, sed post sufficientem embryonis organizationem... Hanc ultimam sententiam (de animatione dilata) propugnamus, utpote exigentis embryologiae et philosophiae magis consentaneam. Sententia enim quae immediatam informationem embryonis ab anima rationali docet, non videtur satis considerare ovulum et spermatozoides ante fecundationem esse viventia, vita quidem certo certius humana inferiore, vegetativa scil. vel sensitiva. In ipso autem fecundationis momento, propriam formam amittunt ad embryonis formam obtinendam. In hoc instanti, cum embryo nullam adhuc habeat organizationem, videtur inconvenienter ei attribui forma maioris perfectionis quam forma ovuli vel spermatozoidi. Et ideo videtur convenienter ei attribui quaedam forma inferior (anima vegetativa et sensitiva)... Iam a principio formationis embryonis vita apparet a vita plantae essentialiter diversa, et ideo videtur iam formatio organorum vitae nutritivae a vita superiori vegetativae regi, i. e. ab anima sensitiva. Aliunde, admissa anima vegetativa, advenire non potest postea anima sensitiva absque speciali Dei interventu, cum ex se anima vegetativa embryonis non possit mutationem substantialem necessariam ex seipsa operari. Et ideo dicendum videtur embryonem, in ipso instanti fecundationis anima sensitiva praeditum, praeparare animae rationalis infusionem, quae a Deo creatur cum embryo sufficienter disponitur ad ultimam dispositionem, quam obtinet a Deo in ipso infusionis animae rationalis momento » (2).

Pariter JOLIVET docet momento conceptionis adesse in foetu

(1) CARBONE, *Circulus Philos.*, IV, *Psychol.*, Taurinis, 1938, n. 788; cf. nn. 797 et 960.

(2) MAQUART, *Elementa Philosophiae.*, Parisiis, 1937, II, p. 542-543.

animam vegetativam et sensitivam, cui postea succedit anima rationalis a Deo infusa ⁽¹⁾.

Inter vero auctores recentes qui hanc thesim profundius et fusiori calamo pertractaverunt, eminent A. LANZA, archiepiscopus Rheginensis (Reggio in Calabria), qui dum esset professor in Romano Athenaeo Lateranensi momentosum ac scientificum de hac re edidit opus, cuius titulus: « *La questione del momento in cui l'anima razionale è infusa nel corpo* ». (Roma, 1940). Cl. Auctor sequitur doctrinam Aristotelis et s. Thomae de animatione dilata (« animazione ritardata »), utpote principiis philosophicis de forma substantiali magis conformem. Rationes praecipuae sunt: 1) forma substantialis supponit materiam proportionatam et proxime dispositam; 2) forma substantialis (anima) non potest esse causa efficiens organismi cum quo concurret ad unam substantiam constituendam; 3) forma substantialis est terminus (et non principium) ipsius processus generativi ⁽²⁾. Confirma-

(1) « La troisième opinion (de animatione dilata, ita ut initio adsit anima simul vegetativa et sensitiva, cui postea succedit anima rationalis) paraît la mieux accordée à la fois aux données de l'embryologie et à l'intelligibilité philosophique. La raison principale qui porte à exclure la deuxième opinion (de la fécondation immédiate) est que les éléments mâle et femelle (ovule et spermatozoïdes) sont vivants avant la fécondation, et vivants d'une vie qui ne peut être que végétative ou à la fois végétative et sensible. Or, au premier moment de la fécondation, marqué par l'union des éléments mâle et femelle et la formation de l'embryon, l'organisation de celui-ci paraît trop inférieure pour requérir une forme supérieure à celle des éléments.

Cette forme ou âme est-elle sensible ou simplement végétative? Il semblerait qu'il y ait lieu d'admettre, contre la première opinion (des trois âmes successives) qu'elle est immédiatement sensible, car la vie de l'embryon paraît essentiellement différente de la vie végétative, ou vie de la plante. Ainsi on serait conduit à dire que l'embryon, doué initialement de la vie sensible, serait comme préparé à la réception de l'âme spirituelle, créée par Dieu au moment où l'embryon, suffisamment développé, serait devenu capable de recevoir l'âme spirituelle » JOLIVET, *Traité de Philosophie, II Psychologie*, Lyon, 1940, p. 676.

(2) A. LANZA, *La questione del momento in cui l'anima razionale è infusa nel corpo*. Roma, 1940: « La tesi dell'animazione ritardata sfrutta principalmente i seguenti motivi: 1) l'esigenza da parte della forma sostanziale di una materia alla medesima proporzionata e la necessità di consi-

tur haec opinio ex theoria moderna de *epigenesi*, iuxta quam vivens paulatim evolvitur, id-est, momento conceptionis diversa organa non coexistunt (actu), sed successive oriuntur (quae thesis opponitur praeformationismo, iuxta quem omnia organa viventis iam actu existunt in semine ⁽¹⁾). Confirmatur insuper sive ex factis *polyembryoniae* (quando scil. unus ovulus – cui inest una anima vegetativa, multiplex in potentia – scinditur postea in duos, ex quibus procedunt duo gemini identici), sive ex factis *teratologicis* (quando scil. generantur monstra quae anima rationali carent) ⁽²⁾.

Quod si theoria de animatione immediata ultimis saeculis sat diffusa apparet, hoc provenit, iuxta auctorem, ex triplici capite: 1) ex despectu speculationis scholasticae; 2) ex theoria tunc diffusa praeformationismi et 3) ex praevalentia quaestionum practicarum (v. g. de foetibus baptizandis) ⁽³⁾.

Quoad pluralitatem successivam formarum asserit auctor illas formas esse incompletas, temporaneas et dispositivas, et specificè reductibiles ad ultimam formam substantialem (qua evolu-

derare accidentale tutto ciò che si aggiunge all'essere sostanzialmente completo; 2) l'impossibilità di ammettere che la forma sostanziale sia anche la causa efficiente di quell'organismo col quale concorre a formare un'unica sostanza; 3) la necessità di ritenere che la medesima forma sia termine, e non principio, del processo generativo » (p. 293-294).

⁽¹⁾ « La teoria dell'*epigenesi*, così come viene oggi proposta dai migliori studiosi di embriologia, tutt'altro che rivelarsi contraria alla tesi tradizionale, serve ad approfondirne il contenuto, mettendo in maggiore rilievo il carattere *ontogenico* dei vari processi attraverso ai quali si va costruendo l'organismo umano » (o. c., p. 294).

⁽²⁾ « Esistono dei particolari processi – quelli relativi alla *poliembryonia* e taluni di natura *teratologica* – la cui genesi, così come viene prospettata nelle spiegazioni scientifiche più attendibili, mal si concilia con la tesi dell'animazione immediata, mentre armonizza pienamente con i principii ai quali si ispira la nostra tesi, sia in ordine alla creazione ritardata dell'anima razionale, sia relativamente alla pluralità successiva delle forme durante il periodo embrionale » (o. c., p. 294).

⁽³⁾ « La tesi dell'animazione immediata deve la sua fortuna al decrescente interesse per la speculazione scolastica; all'affermarsi, nel campo scientifico, della teoria del preformazionismo ed al prevalere delle preoccupazioni pratiche sull'interesse scientifico nello studio e nella valutazione delle soluzioni proposte » (o. c., p. 294).

tio foetus terminatur), et sic unitatem individui humani servari ⁽¹⁾.

Opinio de animatione dilata sustinetur etiam a MESSENGER ⁽²⁾ et a LACROIX. Hic auctor affirmat doctrinam antiquorum scholasticorum de hac re solide esse fundatam, et illam exponit admitendo in initio conceptionis animam simul vegetativam et sensitivam ⁽³⁾, quod, ut vidimus, a pluribus aliis sustinetur, ut a Farges-Barbedette, Maquart, E. Blanc, Jolivet, etc. Recentissime eadem sententia defenditur a P. BARBADO, O. P. in II vol. sui praeclarissimi operis: *Estudios de Psicologia experimental* (Madrid, 1948). Cl. Auctor, cuius percelebris existit « *Introductio in Psychologiam* » de qua plures iam exstant versiones), quaestionem late pertractat, et quidem sub duplici aspectu, philosophico nempe et empirico seu scientifico. Principium philosophicum super quod haec theoria fundatur est illud de anima humana ut forma substantiali corporis humani organizati (supponens ergo materiam sufficienter dispositam). Fundamentum vero empiricum est sequens: in germine seu ovulo fecundato non existunt actu, sed tantum in potentia, organa proprie et specificae humana (proxime disposita ad animam humanam suscipiendam), et successive tantum oriuntur; et haec est theoria epigenesis quae ab embryologia moderna demonstratur.

⁽¹⁾ « La pluralità successiva delle forme, richiesta dal principio della proporzionalità esistente tra la materia e la forma, attuandosi in forme essenzialmente *incomplete, temporanee e dispositive*, e riducibili specificamente per ciò stesso, alla forma sostanziale ultima in cui termina lo sviluppo embrionale, non spezza l'unità dell'individuo così come non arresta alla prima forma la funzione procreatrice dei parenti, ma permette che questa accompagni virtualmente tutto lo sviluppo finchè Iddio non infonda nel corpo già organizzato l'anima razionale » (o. c., p. 295).

⁽²⁾ E.-C. MESSENGER, *Evolution and Theology; The problem of man's origin*, London, 1934: « We ourselves regard as certain the theory of the succession of embrione forms as expounded by St. Thomas » (p. 87).

⁽³⁾ R. LACROIX, *L'origine de l'âme humaine*, Québec, 1945: « Nous croyons très solide la position des anciens scolastiques, enseignant que l'embryon ne reçoit l'âme raisonnable que lorsque sont formés les principaux organes du corps humain » (p. 126). « Pour accepter l'opinion de s. Thomas et d'Aristote sur le moment de l'infusion de l'âme, il suffit de savoir que les principaux organes du corps humain n'existent pas en acte dès le début, et que la nature exige quelque temps pour les former » (p. 143).

Insuper elementa generationis (ovulus et spermatozoon) sunt duae cellulae viventes iam ante conceptionem. In ovulo fecundato adsunt quidem functiones organicae, ad quod requiruntur organuli. Sed quaestio est an isti organuli sint specificè humani et proxime dispositi ad animam humanam. Ab adversariis hoc affirmatur, sed non probatur. Si in ovulo fecundato adsunt polaritas, symetria, localizatio quoad substantias et energias organoformativas, hoc non sufficit ad asserendum quod anima humana iam adest; quia easdem proprietates, quamvis attenuatas, videtur habere ovulus non fecundatus.

Aliunde « generatio non sequitur, sed praecedit formam substantialem » (s. THOMAS, *de Pot.*, 3, 12), et parentes generant formando paulatim per « vim formativam » organismum foetus ut sit capax suscipiendi animam humanam. (Sicut enim evolutio sequens formam organismi vocatur *augmentum*, ita evolutio praecedens illam vocatur *generatio*). Unde cum forma non sit principium, sed terminus generationis, anima humana (quae est forma corporis humani) non infunditur antequam organismus corporis humani efformetur, sed solum postea, quando scil. foetus ad animam humanam suscipiendam est sufficienter dispositus ⁽¹⁾.

(1) BARBADO, O. P., *Estudios de Psicología experimental*, Madrid, 1948, t. II, pp. 519-569. « Si la unión del alma racional con el cuerpo es la última fase del proceso generativo, y si este implica la preparación del embrión hasta adquirir forma y organización específicamente humanas, es necesario admitir la tesis de la animación retardada, con todas sus consecuencias » (p. 542). « La base empírica de la demostración tradicional, o sea que en el germen u óvulo fecundado no existen actualmente, sino sólo en potencia, organos específicamente humanos, es una verdad demostrada por la moderna embriología, si se da a la palabra *órgano* la significación que comunmente tiene en las ciencias biológicas. El nudo de la cuestión está en si esos "organulos" son específicamente humanos y tienen disposición suficiente para la infusión del alma espiritual. Los adversarios de la doctrina tradicional dicen que sí, pero no lo demuestran. El hecho de que en el óvulo fecundado haya polaridad, simetría y localizaciones de substancias y energías organoformativas, no es razón suficiente para decir que allí está también el alma humana; pues las mismas propiedades, aunque más atenuadas parece tener el óvulo no fecundado, y no por eso se afirma que esté dotado de alma humana. Resulta, por consiguiente, que no hay motivo fundado para condenar por anticuada

CONCLUSIO

Ex citationibus factis liquido apparet sententiam de animatione dilata, nedum sit derelicta tanquam erronea vel minus probabilis, hodie a pluribus scientiae cultoribus sustineri, utpote principiis philosophiae scholasticae de forma substantiali necnon factis empiricis embryologiae magis conformem. Unde, licet apodictice probari non possit, seriam tamen retinere videtur probabilitatem, sive ob auctoritatem multorum philosophorum et theologorum qui illam propugnant, sive propter argumenta, ex ratione metaphysica et ex experientia scientifica deprompta, quibus haec theoria fulcitur ac defenditur.

la doctrina tradicional de la animación retardada; si bien tampoco se puede decir que esté apodícticamente demostrada ». (pp. 568-569).